

men de eâdem re agente, si queratur, Parelius signumne sit, an causa? neutrum censeo. Nituntur enim fundamentò admodum lubricò, scilicet observationibus. Et rectè mones quidam, quòd istas tantùm experientias, (ego dico Parelios) notârint Scriptores, & in literas retulerint, quæ non fefellerunt, (quas, animadvertente DEO ob peccata in genus humanum, bella & calamitates aliæ infecutæ sunt) reliquas præterierint. Et anne etiam (loquor autem κατὰ δόξαν, non κατ' ἀλήθειαν, seu ex concessis) anne, inquam, si Parelius mali ominis signum est, sanctorum ideò hominum pias preces, quibus Deum manu factâ quotidiè ambiunt, ad avertenda, quæ imminere videntur, mala irritas esse dicamus? minimè. Unde autem Ecclesiæ mala? nisi ab Hæreticorum impiorumquæ insita malitia: unde regnorum everisiones? nisi ab ipsorum hominum crudelitate ac superbia: quæ si præcedere omnia Parelii deberent, bone DEUS! totum quotidie cœlum Pareliis esset effigiandum. Neque tanta etiam superarum rerum potentia est, ut in mores hominum influendò, ad certas etiam actiones eos cogere possint, cum ratione præditi homines sint, libertatequæ suâ ad resistendum polleant. Igitur nihil Parelii ad has mutationes conferunt; sed positis causis naturalibus Pareliorum, res quoque naturales, Parelii, ponuntur.

§. 15. Has verò causas naturales, (ut jam ad *Accidentalibus* me convertam, hoc est, ad *adjuncta*, & *circumstantias* Parelii, hætenus enim de *Essentialibus* ejus agebam) cum comprimis adesse cernimus, cum Aer undique vaporibus est repletus, quod in *Vere* & *Autumno* accidit. Unde cum nubes plurimæ sint, facilè una vel plures inter eas formari possunt, quales Parelius requirit. *Frequentissimè* autem is fieri amat cum ipso Sole oriente: *Sæpe* cum occidente: *rarò* circa Meridiem. Cum oriente, inquam, Sole, quia tum vapores velut agmine factò continuâ quâdam longâquæ serie à terra ad aërem versus ascendunt, ibique in nubes conden-